



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio LXXXIV. De prædestinatione Christi? S. Thom. quæst. a. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
q. 24.

DISPUTATIO LXXXIV.

De prædestinatione Christi.

S. Thom. quest. 24.

§. 1.

P

Rædeterminatio bifariam accipitur. Primò, pro voluntate Dei ab æterno decernente aliquid in tempore facere: quo pacto omnia, quæ in tempore faciunt, sunt prædestinata. Secundò, pro voluntate destinante rem aliquam ad aliquem terminum; maxime quando id fit merè gratis: ut homines dicantur ad beatitudinem prædestinati, scilicet sunt destinati à Deo; ut sint beati.

§. 2. Dico Primò: Christus prædestinatus est ab æterno esse filius Dei, scilicet ab æterno decrevit Deus efficere hoc compositum *Christus*, quod est filius Dei. ita S. Thomas art. 1. asserens ab æterno prædestinari, quæ in tempore fiunt per gratiam: *Christus autem ut homo factus est per gratiam vniõnis: ergo & ab æterno prædestinatus.* Patet ex 1. ad Corin. 2. vers. 7. *Sed loquimur Dei sapientiam, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram.* Et ratione: nam hoc compositum est aliquid in tempore productum à Deo: ergo Deus ab æterno illud voluit producere: temporarius enim nullus illi accidit actus. In hoc sensu explicat Augustinus tract. 105. in Ioan. testimonium Pauli: *Prædestinatus est filius Dei in virtute: illud enim (inquit) prædestinatum, ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat ut fieret.* & infra: *Nam in prima epistolarum eius, quæ est ad Romanos, & ipsius epistola principium est, ubi legitur, Paulus Apostolus, qui prædestinatus est filius Dei.*

§. 3. Objicit, cum Christus sit filius Dei, quomodo prædestinatus est esse filius Dei? Respondeo eum ut Deum non esse prædestinatum, sed ut hominem: cum autem Christus ut homo sit filius Dei, & sub hoc conceptu fuit indifferens obiectum voluntatis diuinæ; quæ potuit velle, & non velle ut existeret; voluit liberè ut existeret, & ut absolute esset: sicut ego ab æterno prædestinatus sum Petrus, id est, decretus ut sim Petrus: quia quod non existit, non est absolute: ita Christus decretus est, ut existeret in quantum homo; & ut homo esset absolute filius Dei. quod est prædestinari ad esse: non quasi ratio filij ei iam existenti ut homini adueniat accidentariè; sed ut sit absolute sub ea ratione, qua potuit non esse. est autem hoc discriminè: quod ego ab æterno non sum prædestinatus in sensu communi Theologis: quia in meo esse nulla est gratia supernaturalis; in esse autem Christi est.

§. 4. Dico Secundò: Christus ut concipitur existens cum hypostasi diuina, non potuit prædestinari ad filiationem naturalem Dei tamquam ad terminum in secunda significatione prædestinationis, quam adduxi §. 1. Hanc sententiam docuerunt Durandus in 3. dist. 7. q. 3. Palud. q. 3. art. 2. & 3. circa 2. Bonau. in 3. d. 7. art. 2. qu. 3. Marfil. qu. 7. art. 1. in 3. p. circa 3. & Toletus in cap. 1. epistolæ ad Rom. annot. 9. quos videntur sequi Patres Suarez,

Valentia & Bened. Iustinianus locis conclus. 3. adducendis, dum quærunt distinctionem aliquam saltem rationis inter prædestinatum, & eius terminum. Probat ex Augustino adducto §. 2. his verbis: *Rectè dicitur prædestinatus, non secundum id quod est Verbum Dei, Deus apud Deum; ut quid enim prædestinaretur, cum iam esset, quod erat: illud enim prædestinatum erat, quod nondum erat.* Ratio est manifesta: quia qui prædestinatur ad aliquem terminum, ad illius consecutionem dirigitur, tamquam ad finem: sed quando res aliqua in suo intrinseco conceptu includit aliquam perfectionem, non potest dirigi ad illius consecutionem; neque talis perfectio potest esse finis illius: quia finis est causa extrinseca, siue distincta, rei, quæ est ad ipsum: ergo talis res non potest ad eam perfectionem prædestinari. Maior patet ex vocis significatione præmissa §. 1. perfectionem autem illam esse finem rei prædestinatæ ad ipsam, est communiter certum; quia est donum aliquod gratuitum, ad quod dirigitur creatura rationalis, vel tamquam ad finem, ut beatitudo, & vniõ hypostatica; vel tamquam ad medium: vel saltem negari non potest aliqua distinctio saltem rationis inter obiectum prædestinationis, & eius terminum: nam si ego Petrum destino ad aliquid, illum destino ad aliud, & non ad ipsum Petrum. Quid enim est destinare Petrum ad seipsum? Unde & Minor syllogismi probata manet: nam quod est de compositione alicuius rei, non potest esse terminus, ad quem talis res dirigatur: idem enim dirigeretur ad se ipsum. Tunc sic argumentor: Sed Christus conceptus clarè cum hypostasi diuina includit intrinsecè tanquam partem sui, aut quasi partem, vniõnem hypostaticam, & personam Verbi; & propter eandem rationem filiationem naturalem Dei: quia Christus componitur ex hypostasi diuina, & natura humana: ergo Christus ita conceptus non potest prædestinari ut sit filius Dei.

§. 5. Dico Tertio: Hic homo Christus non potest prædestinari ad rationem filij naturalis Dei: nam hic homo includit clarè & distinctè in suo conceptu illam rationem; & cum hic homo, in quantum homo, sit filius naturalis Dei, quo pacto potuit à Deo dirigi, ut ad terminum, ut esset filius Dei? Hanc sententiam tradunt auctores secundæ conclus. exceptis Patribus Suarez, Vasquez, Iustiniano & Valentia: primus disp. 40. sect. 2. §. *Quo circa*. secundus verò disp. 90. à num. 21. tertius autem in explanatione cap. 1. epistolæ ad Rom. §. *Si presus*: quartus verò disp. 1. q. 24. p. 2. aiunt hunc hominem significare directè & explicitè humanitatem; indirectè verò & confusè suppositum, quin hoc aut illud eo conceptu exprimat. opinantur igitur Deum prædestinasse ad vniõnem hypostaticam sibi hanc humanitatem vagè consideratam

in

in supposito. Verum in opinione P. Suarez minimè id potest affirmari: ex ipso enim ostendi disp. 39. §. 25. Christum, siue hunc hominem, supponere in recto pro persona, non pro natura: unde debet supponere in particulari pro hoc supposito: alioquin non erit hic, sed vagus homo.

§. 6. Impugnatur autem hæc sententia: Primò, quia Deus nihil indeterminatè & confusè considerat; sed omnia distinctè, & in particulari, vt abunde probaui disp. 13. sect. 9. ergo Deus non potuit prædestinare hunc hominem ad hoc suppositum; sed tantum est prædestinare hanc humanitatem. vel considerat hæc humanitas cum aliquo supposito componens hominem. si suppositum est determinatum, videlicet Petri aut Pauli, iam prædestinaretur Petrus ad vnionem hypostaticam: si verò suppositum est indeterminatum: ergo Deus iam haberet actum confusum circa suppositum: nec enim nostra confusa conceptio quidquid iuat: quia ex illa non colligitur confusio in diuina, quod erat necessarium vt Deus prædestinaret hunc hominem cum supposito indeterminato: nam si illud non cognoscit indeterminatè & confusè, non potest velle illud destinare ad aliud, quidquid nos confusè illud apprehendamus. Deinde *hic homo* sumi potest, aut pro toto composito ex natura & substantia, aut denominatiuè pro natura, quæ denominatur, & in obliquo pro substantia: vt album dicitur dulce, quia supponit adæquatè pro solo subiecto connotante albedinem. si primum, hoc suppositum est de conceptu huius hominis: quia constitutina sunt idem, quod compositum; vnde vno amoto non manet compositum idem adæquatè. si verò secundum, iam non prædestinatur propriè hic homo; sed sola humanitas, quæ denominatur homo. Vt cum dico, Album est dulce, non album supponit pro solo subiecto: nam de illo solo, & non de albedine enuntiat dulcedo; connotatione autem albedinis solum significatur pomum, de quo dicitur dulcor habere etiam albedinem.

§. 7. Obijcis testimonium Pauli c. 1. ad Roman. De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei. Quod de prædestinatione Christi ad filiationem Dei accipiunt Glossa interlinearis, PP. Suarez disp. 40. sect. 2. §. Quocirca, & Iustinianus in explicatione eius loci §. Si pressius. Verum si cum August. hunc locum explicemus tom. 9. tract. 105. in Ioan. nullam habet difficultatem: ait enim Christum prædestinatum esse, scilicet decretum à Deo eo modo, quo factus est, sumpta prædestinatione primo modo, vt dixi §. 1. Sicque contextitur textus Pauli, Qui factus est ei ex semine David, & prædestinatus vt ita fieret. Vt tamen expositio hæc vera sit, aliquid illi est addendum ad exactam huius loci expositionem. Origenes sic interpretatur.

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.

pretatur, Existens filius Dei, destinatus est vt sit primogenitus mortuorum: scilicet voluit Deus, vt Christus per mortem obtineret primitias dormientium. Clarior enim & exactior interpretatio est eiusdem S. August. in expositione inchoata in Epistolam ad Rom. 5. Ambros. to. 5. in c. 1. ad Rom. his verbis: *Hic ergo, qui incarnatus, quid esset latebat; tunc prædestinatus est secundum spiritum sanctificationis in virtute manifestari Filius Dei, cum resurgit à mortuis.* Itaque prædestinatus est Christus ad gloriam & manifestationem, & impertiendum spiritum sanctificationis ex mortuorum resurrectione. Quam expositionem sequuntur Salmeron tom. 13. in epist. ad Rom. cap. 1. & Iustinianus in explicatione eius capitis. Adde expositionem Græcorum Patrum Oecumenij, Theodoretij, Damasceni, Chrylost. & aliorum, opinantium participium prædestinatus esse idem, quod prædemonstratus & prædeclaratus Filius Dei. Qua ratione Erasmus transtulit è Græco in Latinum. sensus autem est: Filius Dei, qui factus fuerat ex semine David, declaratus est esse Filius Dei ex mortuorum resurrectione, & largitione Spiritus sancti in virtute propria. Quæ expositio non est aduersa secundæ relatæ ex August. & Ambros. probatur autem Salmeroni & Iustiniano supra, Toletio annot. 9. & Vasquez disp. 90. c. 4. Vnde liquidò constat nihil subsidij in hoc testimonio esse pro opposita sententia.

§. 8. Dico Quartò: Humanitas Christi prædestinata est ad vnionem hypostaticam. ita tenet S. August. c. 15. de Prædestinat. Sanctorum, PP. Suarez & Vasquez in præsent. Probatu apertè: quia prædestinatio propriè significat destinare aliquid ad aliquid: sed humanitas Christi destinata est ad vnionem hypostaticam: ergo prædestinata est. Oppositum sentiunt S. Thomas art. 1. ad 2. & Nicolaus de Lyra: quia prædestinari conuenit personæ, & non naturæ: denominationes enim sunt suppositorum. Respondeo, prædestinationem ad aliquid, quod supponitur, suppositum conuenire toti supposito, & non soli naturæ: v. gr. prædestinatio hominis ad gloriam; secus verò prædestinatio, quæ habet pro termino suppositum: tunc enim obiectum prædestinationis non est suppositum, sed natura; terminus autem est suppositum: neque denominationes sic antecedentes conueniunt supposito: iam enim ostendi eas solas conuenire illi, quæ ipsum suppositum consequuntur, non quæ præcedunt.

§. 9. Dico Quintò: Verbum diuinum non est prædestinatum ad humanitatem, siue vt sit homo: nam prædestinatio propriè sumpta est de termino, qui sit supernaturalis rei prædestinata; minùs tamen propriè potest dici prædestinatum, vt sit homo. Hic multum potest de nomine contendere.

§. 10. Dico Sextò: Christus in quantum homo, & simpliciter, est prædestinatus ad gratiam, & gloriam: nam gratia & gloria sunt supernaturales humanitati; & illa fuit ad ea duo destinata: item actus ille est posterior ratione, quam suppositum. Ratione humanitatis prædestinatæ potest persona dici prædestinata, sicut accipit alias denominationes. Non est opus hac de re longius prouchi: consulantur S. Thomas, PP. Suarez, Vasquez, Ragusa, Becanus, & Gaspar Hurtadus: nec verò opus est in quaestionibus de nomine moram facere.